

**Mariam invoca.** — Salvum me fac, Mater pulchrae dilectionis, fons elementiae, et dulcor pietatis. Gyrum terrae sola circuis, ut subvenias invocantibus te (S. Bonav. *ps.* 9).

**Mariam laetifica.** — Orando pro omnibus apostolicis viris, ut B. Virgo sit eorum Consolatrix, Roboratrix, Protectrix et Auxiliatrix: studium perfectionis promovendo. — *Ut sim servus Filii, servitutum appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. VIII.  
DE ORATIONE.

**155.** — **Praenotandum.** — Multa nos oportet operari ad animae purgationem obtinendam: multiplex est spiritualis pugna, qua internos externosque perfectionis et salutis hostes devincere debemus. Sed heu! quid sumus nos? quid fuimus? quid fecimus? quid possumus? accedendum ergo nobis est ad eum qui potest et vult confortare nos, qui expectat pulsantes ut tribuat illis tot panes, tot necessaria quot indigent. Eamus ergo frequenter ad palatium Regis nostri, pulsemus, postulemus et firmiter speremus. Ergo « magnum negotium habet homo tractare in curia summi Regis: anima vero in corporis carcere detenta non potest illuc ascendere, nec coram eo sua negotia procurare; ideo opus est, quod ad illam nuntium suum, id est, orationem dirigat, quae vicem ejus gerat, et ejus negotia procuret: unde Psalmista ait: Intret oratio mea in conspectu tuo: ubi Glossa Augustini dicit: Magna virtus purae orationis, quae quasi quidam nuntius intrat, et ibi negotia peragit, quo caro pervenire nequit » (Belloc. *spec. mor.* p. 10, l. 3, d. 34).

## ART. I. — De Oratione generatim.

**156.** — **Definitio.** — *Oratio* etymologice idem sonat ac *oris ratio*; estque *elevatio mentis ad Deum*. — *Oratio* sic describitur ab Augustino: *Oratio est pius mentis affectus in Deum directus*. A Joanne Damasceno sic: *Oratio est ascensus intellectus in Deum*. Idem: *Oratio est expressio desiderii directi in Deum propter bonum adipiscendum, vel malum removendum, formata per verbum interius et exterius*. — Et magistraliter sic: *Oratio est ostensio voluntatis nostrae, ei a quo impetrare speramus, id quod desideramus*. — Gregorius: *Veraciter orare est, in compunctione amoris gemitus, et non composita verba resonare* (S. Bonav. *Centil.* p. 3, s. 46). Unde merito ait S. Augustinus (*in Ps.* 85): « Quando enim legis, tibi loquitur Deus: quando oras, cum Deo loqueris ». Et S. Damascenus: « *Oratio est eorum a Deo postulatio, quae postulare convenit* ». — Cui concordat Dion. Carthus. dicens: « *Oratio est explicatio desiderii ac interpret et nuntia voluntatis; quia illud licet orare, quod licet desiderare* ».

**157.** — **Divisio.** — I. *Oratio* est vel *vocalis* vel *mentalis*, prout fit mente et lingua simul, vel mente tantum. Dicimus *mente* et lingua simul, quia non orat qui labiis tantum, et non corde et mente orat. Unde, omnis *oratio vocalis* esse debet simul et *mentalis*: secus de *oratione mentali*.

II. *ORATIO VOCALIS* est *publica*, si a communitate vel nomine totius populi ab Ecclesiae ministris pro ipsa communitate peragatur (dici potest *late publica*, quae in eodem loco a pluribus communiter et simul fit): *privata* si a persona privata privato nomine fiat. Horae canonicae sunt inter praecipuas ex *orationibus publicis*: inter *privatas orationes vocales*, principaliter assignantur *Oratio Dominica* et *orationes Jaculatoriae*.

III. *ORATIO MENTALIS* vocatur *simplex cogitatio*, si quis momentaneo tantum pie consideret, estque quasi interna *jaculatoria*; *meditatio*, si sedulo et affectuose materias ponderandas rimetur; *contemplatio*, si sit inspectio rei sine discursu, seu *elevatio mentis in Deum suspensae, aeternae dulcedinis gaudia in ipso degustantis*.

IV. *ORATIO GENERATIM* distinguitur etiam in varias species, scilicet: *Adorationem, Obsecrationem* (postulando bona), *Gratiarum actionem, Deprecationem remissionis* offensionum (postulando veniam pro peccatis), *Interpellationem* (qua querimur de iis quae laedunt, et rogamus pro persecutoribus nostris), *INVOCATIONEM SEU PETITIONEM quae frequentius intelligitur sub nomine Orationis, et ad quam, ut docet S. Thomas, caeterae species ut plurimum revocantur*.

V. *ACTUS ORATIONIS generatim* sic distribui solent: 1° *Magna de Deo aestimatio*; 2° *Deum ob suas perfectiones laudare*; 3° *Per cantica spiritualia bonitatem et gloriam ejus celebrare*; 4° *Deum adorare*;

5° *Gratias* illi agere pro universis beneficiis; 6° *Creaturas invitare* ad Deum laudandum; 7° *Deum in sanctis suis laudare*; 8° *Gratias et beneficia ab eo petere*, constanter et fiducialiter; 9° *Meditare* affectuose et cum melioris vitae proposito divinas perfectiones, vitam Christi et Sanctorum; 10° *Contemplatio* divinarum perfectionum et mysteriorum.

VI. VARIÆ DISTINCTIONES. — 1° Quadruplex est oratio: vocis, sine devotione; devotionis, sine voce; vocis cum devotione: devotionis cum voce (Hug. a S. Vict.). — 2° Tria sunt genera adorantium: alii solis labiis, alii solo corde, alii labiis et corde: primi, dolosi; alii, devoti: alii, veraces (S. Bonav. *sup. psal.* 16). — 3° Oratio tripliciter sumitur: primo proprie, pro ascensu in Deum ad ipsum degustandum, vel ad aliquid obtinendum; secundo communiter, secundum omnem actum contemplativæ; tertio communissime, pro omni actu bono, et in hoc tertio sensu dicitur: non cessat orare qui non cessat benefacere (id.). — 4° Tres sunt orationis gradus: primus cum labore et difficultate orare; secundus, inter ipsas ordinarias occupationes et proprii officii obligationes mentem ad Deum elevare; tertius, in huiusmodi elevatione, se passive magis quam active habere. Primi in oratione conantur, secundi agiliores fiunt, tertii fruuntur et per viam contemplationis maxime currunt.

**158.** — **Errores.** — I. Errarunt etiam contra orationem: Fatalistæ, Wiceliftæ, Lutherani, et alii qui negant hominibus veram libertatem electionis, quamvis in praxi multi illorum non raro aliter agunt

ac juxta eorum delira principia. — II. Errarunt negantes efficacitatem orationis aut curam quam de nobis et petitionibus nostris habet Deus, ut Epicurei. — III. Errarunt Euchitari seu Messaliani contententes nunquam omnino esse ab orationibus desistendum. — IV. Errarunt Quietistæ asserentes nihil esse petendum, sed totum divinæ voluntati relinquendum. Unde merito damnata fuit hæc Molinos propositio: « Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit ut a Deo rem aliquam petat, quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis et electionis, et est velle quod divina voluntas nostræ conformetur, et non quod nostra divinæ ». — V. Erravit Quesnelius excludendo peccatores a præcepto orationis; etc. etc.

**159.** — **Varia.** — I. *Orationis finis est protestatio nostræ erga Deum subjectionis, et unio cum Deo.* — Quæ hucusque diximus, tendunt ad perfectionem obtinendam, ad perfectionis impedimenta removenda, ut obtineatur finis perfectionis, qui est unio cum Deo quotidie major et intimior. Et quia oratio omnium aliorum mediorem ad perfectionem inducentium fit adjumentum et quasi generalis procuratrix, hinc est quod ipsa oratio habet pro fine et objecto, charitatis perfectionem et majorem cum Deo unionem. Ora ergo ut a peccato exeas, ut sacramenta digne recipias, ut sensus internos et externos purges, ora ut bene et fideliter ores.

II. Orat pro nobis Christus (ut homo), sed non invocatur ut caeteri sancti dicendo: Christe, ora pro

nobis, ob errorem Arii vitandum. — Oratio est sacrum convivium animae, cujus refectorium est meditatio. — Oratio gemebunda includit contritionem et addit postulationem (S. Bonav.).

III. *Oranti incessanter, Deus incessanter concedit gratias* (id.). Unde valde commendatur usus orationum jaculatoriarum, quibus facillime etiam extra tempus ordinarium orationis, pervalde multiplicamus preces et multiplices obtinemus favores. Ergo totis viribus incumbat servus Dei orationis exercitio meliori quo possit modo, fiatque in eo *habitus orandi*.

IV. Orationis incensum ponendum in thuribulo Angelorum custodum. — Orantes inveniunt gratiam, justitiam, et gloriam et bona temporalia (S. Bonav.). — Oratio duabus alis volat, scilicet, jejunio et elemosyna. Orans pro aliis, sibi meretur. — Oratio est medium perveniendi ad metam perfectionis (id.).

V. Oratio est tributum quod homo Deo solvit. — Orantibus Deus se varie offert, aliquando Pater, aliquando Judex, etc. — Oratio qua salus animae solum petitur, est vere clamor ad Deum. — Oratio et misericordia debent esse sociae (id.).

#### ART. II. — De Oratione sumpta pro Petitione.

**160.** — *Praenotandum:* « Oratio est pudicitiae praesidium, castitatis tutamen, irae moderatio, superbiae sedatio, arrogantiae repressio, injuriarum expugnatio, invidiae profligatio, injustitiae sublatio,

impietatis correctio, robur corporum, abundantia domus, recta juris ac legum constitutio, regni vis, civitatis protectio, belli trophaeum, pacis securitas, dissidentium conciliatio, conjunctorum conversatio, virginatis sigillum, matrimonii fides, viatorum scutum, dormientium custos, vigilantium fiducia, agrorum fertilitas, navigantium salus, reorum patrona, nexorum relaxatio, vinctorum solutio, fatigatorum requies, moerentium consolatio, gaudentium delectatio, lugentium solatium, morientium funus, bonorum progressus, malorum subversio, peccatorum emendatio, praesentium fructus, futurorum reprehensio » (S. Greg. Nyss. *Orat.* 1, *de Orat. Dom.*). Quae omnia orationis beneficia magis in nobis accrescere debent orationis aestimationem.

**161.** — *Necessitas orationis.* — I. *Oratio necessaria est vera oratio et petitio*, ac proinde rejiciendum est pessimum et damnatum Wicleffi principium orationis destructivum, scilicet quod « orare nihil aliud est quam bene operari ». Et quando aliqui AA. loquuntur de merito orationis bonis operibus tributo, non intelligunt dispensare ab ipso orationis exercitio, sed in veritate et charitate consolari eos qui juxta Dei beneplacitum, sive secundum propriae obligationis conditionem, impediuntur a diuturniori oratione instituenda.

II. *Oratio adultis est necessaria necessitate praeepti, et probabilius necessitate medii.* Prob. 1° « Oportet semper orare, et numquam deficere: vigilate et orate, ut non intretis in tentationem »

(*Luc.* 18; *Matth.* 24). « Sine intermissione orate: volo viros orare in omni loco... similiter et mulieres » (*1 Thessal.* 5; *1 Tim.* 2). Ne autem incidas in errorem Euchitarum (qui, ut notatum est, asserebant quod nunquam ab oratione est cessandum, indeque prohibebant alia bona opera facere), memento quod juxta doctrinam S. Joan. Climaci, etc., semper et jugiter orare est, Deum habere ut objectum sive finem et regulam omnium exercitiorum, cogitationum, affectionum, et actionum, vel ut ait Gury: « Verba oportet semper orare, ex communi Doctorum interpretatione significant, frequenter orandum esse tempore opportuno, et nunquam cessandum ex taedio, torpore, animi dejectione; vel etiam actiones nostras generatim ad Deum esse dirigendas » (vol. 1, n. 260). — 2° Oratio est medium ordinarium a Deo ordinatum ad gratias necessarias obtinendas, et « Deus, ait Scavini (l. 2, n. 10), gratias suas, si paucas excipias, v. gr. initium fidei, tantum concedit orantibus ». Unde Augustinus: « Constat Deum alia non orantibus sicut initium fidei, alia non nisi orantibus praeparare, sicut usque ad finem perseverantiam » (*de Persev.* c. 5). Et alibi idem S. Aug. ait: « Nullum credimus ad salutem, nisi Deo adjuvante, operari; nullum, nisi orantem, auxilium promereri » (*de Eccl. dogm.* c. 56). Unde merito concludit S. Lig.: « omnes sancti (adulti) salvi facti sunt et sancti facti sunt, orando: omnes damnati damnati sunt, quia non orarunt. Si orassent perseveranter, certo salvi facti fuissent ». — 3° « Arbitror cunctis esse manifestum,

quod simpliciter impossibile sit absque precationum praesidio cum virtute degere, cumque hac vitae hujus cursum peragere. Etenim qui fiat, ut virtutem quis exerceat nisi continenter supplex ad genua accidat ei, qui virtutem omnem largitur homini » (S. Chrysost. l. 1, *de Or. Deo*). « Quod si teipsum destitueris precatione, perinde feceris, ac si piscem ex aqua, extraeris; ut enim piscis vita est ex aqua, ita tibi deprecatio » (Id. l. 2). — *Quando obligat praeceptum orationis, sive per se, sive per accidens, vid. Th. Mor.*

**162.** — **Utilitas orationis** probatur ex dictis praesertim N. 160. — 1° « Multiplex est orationis utilitas quibus etiam alias bonas actiones ipsa excellit. Prima, quia facilius et citius per eam impetramus, quae a Deo desideramus, ita ut quandoque citius brevi oratione aliquis obtineat, quod diuturnis jejuniis vel aliis laboribus et piis operibus vix obtineret, licet et alia bona opera ad hoc aliquatenus suffragentur; unde in omni casu, in omni periculo, pro omni desiderio desiderato semper inveniemus Sanctos principaliter ad orationis subsidium refugisse, quasi ibi promptius quod petebant consecuturos » (S. Bonav. *de Prof. rel.* l. 2, c. 68). — 2° « Oratio placat Deum, laetificat Angelos, recreat Sanctos, penetrat coelos, postulata reportat, terret daemones, adversarios superat, immutat homines, vires reparat, roborat mentem » (S. Laur. Just. *de Perf. gr.* c. 12). — 3° « Cum videris non a te amotam deprecationem, securus esto, quia non est a te amota misericordia ejus. Hinc Psalmista ait: Bene-

dictus Deus, qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam a me » (S. Augustinus, *in Ps.* 65). — 4° « Nihil potentius homine orante. Qui orat cum jejunio, duplices alas habet, nam neque aberrat, neque torquet » (S. Chrysost. *sup. Matth.* 18).

**163.** — **Qui orandi seu invocandi.** — Si loquamur de oratione alicui facta quasi per ipsum implenda, *soli Deo orationem porrigimus.* Ita D. Thomas. Solus enim Deus est auctor et Largitor bonorum omnium, fonsque causaque omnium bonorum. — II. Si loquamur de oratione alicui facta tanquam per ipsum impetranda, Sanctos invocamus tanquam intercessores apud Deum ipsum. — III. Inter Sanctos, maxime invocanda Sanctorum omnium Regina, Beatissima Virgo Maria, Mater Dei et nostra perdulcissima. Unde merito ait S. Bern. (*Laud. V. Mariae*): « Licet enim christiana pietas omnium sanctorum patrocinii juvetur, specialiter tamen plenitudo gratiae humano generi ex tua intercessione, quasi puteus aquarum viventium, de Libano coelesti copiosius emicat ». Et Guibertus Abb. *Rhyt. ad B. V.*, magnam super omnes sanctos intercessionis marianae virtutem impetrativam sic decantavit: *O Maria!*

*Sola namque si coelorum surgis in concilio,  
Precatura pium Patrem cum perdulci Filio:  
Succlamabit mox Sanctorum tibi juncta concio,  
Et petita quaeque tuo suberunt arbitrio.*

Unde, cum omnia ad perfectionem necessaria incessanter postulare debeamus, quaeramus tantum

gratiam et per Mariam quaeramus; Mariam invocare non cessemus: Ipsa est enim « Regula perfectionis universae » (Dion. Carth.): « Exemplar omnium virtutum » (B. Alb. Magn.): « Magistra humilitatis omniumque virtutum » (S. Birgitta). — **MONITUM.** *Multi devoti negligentes in invocatione Sanctorum.* Meminerint optimum esse consilium invocare, post Deum et Matrem Dei, speciali modo, Sanctos Patronos nobis datos in Baptismate, et pro religiosis, Patronum Religionis (nullatenus neglectis Patronis in Baptismate datis), angelos custodes, necnon patronos civitatis, provinciae, nationis et congregationis; specialissimo modo expedit invocare S. Josephum, S. Petrum et alios Apostolos, SS. Joachim et Annam, S. Michaellem Archangelum. Ergo noli tantorum Sanctorum quasi oblivisci. — *Cave tamen ne multiplicatione particularium devotium, impediaris ab adimplerione proprii muneris, et ordinario orationis exercitio:* omnia ergo ordinate procedant; sanctos ad quos cor tuum magis inclinatur invoca, et saltem in majoribus necessitatibus et circumstantiis memento caeterorum, praesertim qui quasi proximiores tibi dici possunt ut Patroni speciales, etc., eorumque saltem generatim frequenter implora auxilium.

**164.** — **Quodnam petendum?** — I. *Oratio Dominica est verum petendorum compendium.* Considera ergo et frequenter recitare non omittas « orationem quam Dominus composuit, in qua sub septenario petitionum, comprehenditur universitas petendorum,

et quantum ad ea quae spectant ad praemium patriae, et quantum ad ea quae spectant ad meritum viae. Quae spectant ad praemium patriae, sunt intelligentia veritatis, sive aperta visio veri, quae petitur ibi: Sanctificetur nomen tuum, id est, notitia tui nominis personis sanctis et mundis donetur. Reverentia majestatis, sive segura tentio summi ardui, quae reges facit, et per quam habetur regnum, quae petitur ibi: Adveniat regnum tuum. Concordia voluntatis, sive perfecta fruitio summi boni, quae petitur ibi: Fiat voluntas tua sicut in coelo, et in terra. Quae spectant ad meritum sive transitum viae, aut respiciunt collationem boni aut amotionem mali. Collatio boni petitur in pane quotidiano sive super-substantiali, in quo petitur quidquid necessarium est ad conservationem vitae praesentis, tam secundum spiritum, quam secundum corpus. Amotio mali petitur in tribus sequentibus. Est autem malum triplex: Quoddam tenet rationem praeteriti, quoddam praesentis, et quoddam futuri. Sive quoddam est malum culpae sive transgressionis, quoddam est malum pugnae sive tentationis, quoddam est malum poenae sive tribulationis. Primum petitur amoveri in dimissione debitorum, secundum in victoria tentationum, tertium in liberatione ab oppressione adversorum » (S. Bonav. *Centil.* p. 3, s. 46). — II. Debemus ergo imprimis petere, et quidem absolute quae animae saluti expediunt, ut bona spiritualia et auxilia ad salutem aeternam. — *Bona vero temporalia* postulanda sub conditione, seu « eo tenore, ut nobis

concedantur secundum quod expediunt ad salutem », ut habet S. Thomas, quia iis male uti possumus. — Et quia ex sapientissima D. Thomae regula: *Hoc licet orare, quod licet desiderare*, sequitur quod possumus a Deo pro nobis *petere mala temporalia* quae habent rationem merae poenae (non vero peccata seu malum culpae), modo fiat ex recto fine, ut sunt paupertas, humiliationes, etc.

**165.** — **Pro quibus orandum.** — *Orandum nobis est, ut in nobis et in proximo regnet Jesus Christus, ac proinde pro nostra omniumque salute, pro fidei conservatione, dilatatione et defensione.* — 1° *Non orandum est pro damnatis, ut patet, neque pro sanctis in coelo cum Christo gaudentibus*, quamvis orare possimus, ut adaugeatur eorum cultus inter homines ad majorem etiam ipsorum sanctorum accidentalem gloriam. — 2° *Orandum pro animabus justorum adhuc languentium in purgatorio.* — 3° *Orandum pro inimicis nostris, nec ullum hominem viatorem quamvis infidelem debemus a nostris orationibus excludere.* — Nota quod excommunicati non privantur orationibus a privatis pro ipsis factis, imo probabiliter neque a suffragiis communibus, sive quae fiunt ab Ecclesiae ministris prout tales, scilicet nomine Ecclesiae, modo non sint *vitandi* (Vide Theol. Mor. ubi de censuris). — *Expediit ergo ut in orationibus quas pro proximo facimus, humiliter oremus pro omnibus pro quibus Deus scit et vult nos orare debere.*

**166.** — **Quomodo orandum?** — Orare debemus